

PO
Bo

A 231

7

Hist.

III. C. 7.




Gezeigt:
Der Nr. Volkshilf

Hauptmann

J. VI, 884

~~III 4/2 J IV 6~~





1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.



Hoc in Volumine continentur.

1. De Religione Ruthenorum hodierna.
2. De Eoptorum Sacramentis Baptismi: atq; Eucharistiae.
3. De Pygmæis Aethiopiae populis. P. Mosheim.
4. De gravaminibus Religionis Vr. Mosel.
5. Augustanae Confessionis Historia
6. De regno posterorum Abrahami in Aegypto. Pr. Baumgarten
7. Natura portionum historicarum Ludovici res complexarum
8. De causis quae Lutherum ad impugnandas indulgentias permoverunt.
9. Theses D. M. Lutheri adversus indulgentias. v. v.
10. De funere et sepulcro D. M. Lutheri.
11. De negotio Moldavico Epistola Clementis IX Pont. ad Sigismundum III.
12. De utilitate et jucunditate studii historici.
13. De vero usu atq; auxilio Jurisprudentiae in Historia
14. De eo quod in Historia pulcrum est Oratio.
15. De origine generis Humani
16. De investituris Episcoporum per annulum et baculum.
17. Origines Metallifodinarum in Germania
18. Num sollemnis expiationum dies sub templo II fuerit celebratus?
19. De fanne et fambre famosis Aegyptiorum magis.
20. De auctore et causa fragis Aspyriorum tempore Ezechielis Indreos: Ag.
21. Non suprum Hode A 438 fuzbist non Erumz in d'htz Münzfrz.
22. Au fuzbist in Erumz: neque albidum neq; unidrum.
23. Non fuzbist fuzbist in Erumz in d'htz Münzfrz

24. De templi Hierosol. Juliani Imper: mandato per Judaeos frustra tentata restitutum
25. Frivola postulata a st. Müny 1712.
26. Magnus Christophorus i. e. de quibus Christophore.
27. De Judaeo non mortali.
28. De Judaeo immortali.
29. Ahasverus molisus in de Evangelium Christi huiusmodi.
30. Laudes Hamburgi
31. De inventore pulveris pyrrii
32. De Vestianis inter antiquiores Christianos
33. Meletemata de Feyla quadam philosophia recentioris.
34. Apollonius Batavus.
35. Mystera Nationis
36. Geogonia et Cataclysmologia Whistoniana dubia redditus.
37. De existentia Genii
38. De Pelenographia iusta dignatione.
39. De usu formentorum apud Athenienses
40. Dionysius T. scilicet Tyrannus Litteras Corinthi docens.
41. Jacobus Hyacinthus Terry de veritate
42. De Joh. Fabri ad versari Lutheri vita et scriptis
43. De iure belli Societatis mercatorie majoris privilegiatae.

1

IV. 137. +

DE NEGOCIO MOLDAVICO

Epistola CLEMENTIS IIX. PP.

Alter,

ad Sereniss. Regem Poloniae,

SIGISMUNDVM III.

Alter,

ad Illustrissimum

Dn. JOHANNEM SA-

moscyum, magnum Regni Po-

loniae Cancellarium:


Item

Responsio Magni Cancellarij, qua
concinnè & neruosè omnes à
se suspiciones remouet.

*Judicium ex certa scientia, non ex multitudine
faciendum: ait Plato.*

ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandri

LECTORI S.

 *Um in proximis Comitijs Varsaviae essem & in sermonibus apud magnum Regni Cancellarium Ioannem Samoicyum, mentio de literis summi Pontificis Clem. VIII. ad Sereniss. Principem ac Dnum. Dn. Sigismundum III. Regem Poloniae, de negotio Moldaunico scriptis fortè facta esset, palàm eas diuulgatas in Germania haberi fatebar, variamq; pro humani ingenij volubilitate suspicionem ali fo-ueriq; non negabam: simul tamen testatus, verum equumq; iudicium de reb. tanti momenti ferri sumiq; nisi audita altera parte, non posse. impetraui ergò ab illustriss. Dno. Ioanne Samoicyo, vt suae responsionis copiam mihi communicaret, quemadmodum illa ab ipso Domino Cancellario regni Magno scripta & per maiorem Regis Serenissimi Secretarium Pontifici maximo insinuata esset. Literas ergò, Lector binas à Papa Clem. VIII. scriptas, & quid ad eas Dn. Ioannes Samoicyus responderit, coniunctim publicari consentaneum censui, vt tibi iudicium sit liberum. Si modò de tanto heroe iudicare praesumis. sed cognitis rerum argumentis intelliges, veritatem rei ex praconcepta opinione saepe numero & praepediri, & male de Repub. imò de semetipsis mereri eos, qui iudicant antequam rem cognouerunt, & damnant prius insontem quam causae merita certo didicerunt. Inuidia comes est virtutis quidem, sed cum sol in vertice est, vix umbra corporis agnosci potest, & qui ferendo fortunam magna conando feliciter perfecit, & verticem attingit, morsus ille occultos hominum non curat quidem, sed interim alijs permolestum est, cum nec honestatis nec lex iusticiae ita fieri patiatur, vt optimè de Repub. meriti & innocentis hominis vita, fama & dignitas traducatur & ledatur. Nihil verò tibi praescribo, Lector. nouisti enim regium esse benè facere & malè audire, nouisti item, famam virtutis esse florem. Vale.*

Christophorus Sturcius.



CLEMENS PAPA VIII.



Charissime in Christo fili
noster. Salutem & A-
postolicam benedictio-
nem. Quo maiori paternæ
dilectionis affectu Mtem. T.
complectimur, eò ardentius
optamus omnes actiones tuas
summa pietatis & prudentiæ laude apud DEVM &
homines cumulatas esse. Ex quo fit, vt tantò graui-
ùs & vehementiùs commoueamur, si quid eiusmodi
audimus de eo, quod à tua virtute & perspecto erga
Catholicam Religionem zelo alienum esse, aut tui no-
minis gloriam obscurare posse videatur: quale nunc
ad nos allatum est de rebus Moldauicis: quod non si-
ne magno doloris sensu ad te scribimus, atque vt paulò
superiora repetamus, profectò memoriâ retines, quan-
tò studio & contentione tecum egerimus, vt propter
causam Dei, & totius Christianæ Reipub. salutem &
libertatem à Turcarum immanitate defendendam te
ipsum cum filio nostro charissimo RVDOLPHO Im-
peratore electo, cæterisque Christianis Principibus
coniungeres, & tam insignem occasionem, tam præ-
clarè de DEO & Fide Catholica, & de nomine Chri-
stiano merendi ne dimitteres.

A 2

Ac

Ac licet ob nonnullas tuas & regni istius priuatas rationes, quas afferebas, dissimulandum tibi que compatiendum esse existimarem, si minus aperte in eam Catholicorum Principum coniunctionem, contra infensissimum & communem hostem nunc quidem descenderes, neue ad eius audaciam coercendam vires tuas adhiberes & adiumenta palam subministrares: Semper tamen illud pro certo habuimus, nihil omnino impedimenti allatum a te iri, quo minus & Cæsar, & alij Christiani Principes suas iniurias iuste prosequerentur, & iugum sæuissimi Tyranni, cuius dominandi auiditas nullis finibus continetur, a suis confinibus depellerent. Quod verò tu ipse Catholicos Principes & Christianæ fidei defensores in Turcarum gratiam oppugnares, teq; cum inimicis crucis Christi ita copulares, vt tua ope eorum furor & vis aueretur: nosti non solum debilitarentur, atq; in ipso victoriæ cursu retardarentur, sed in grauisima pericula conijcerentur, hoc de te non modo non cogitauimus, sed ne leuiter quidem vnquam suspicati sumus, quin & nunc quidem vix adduci possumus, vt ea a te acta credamus, quæ tanquam vera & indubitata referuntur. Aiunt enim, te cum Turcis & Tartaris communicatis consilijs conspirasse, & nominatim contra dilectum filium nostrum Nobilem virum SIGISMUNDUM Transyluanie principem, qui prælia Domini magno animo præliatur. Etenim ne illi hostes superbissimi impetum conatusque infringere liceat, quod hactenus singulari Dei auxilio supra virilem partem consecutus est, sed vt potius rebus suis plurimum timere cogatur, trinam virum auctoritate & consensu nouum in Moldauia Prouincia Waiwodam & Principem constitutum esse,

esse, atque hoc ipsum palam indictum & promulgatum esse à Turcis, à se, & à Tartaris simul illum Moldaviae praefici: Quae adeo nobis noua & inexpectata, & praeter omnem nostram de te opinionem acciderunt, ut, praeter dolorem & admirationem, penè cum Propheta exclamemus: Obmutescite caeli super hoc, & portae eius desolamini vehementer. Quid enim nostra & bonorum omnium expectatione alienius, aut quid magis incredibile dici cogitariue potest quam SIGISMUNDUM Poloniae & Sueciae Regem Religiosissimum, qui se Catholicae Religionis propugnatores acerrimos semper est professus, qui victoriam populi Christiani de teterrimis inimicis & gloriam crucis vel proprio sanguine redimere paratus esset, hunc adeo sui dissimilem repente effectum, ut sacri huius belli spem & felices progressus, quantum in eo est, abrumperet, & ut Christiano & Catholico Principi detrimentum inferret, non recusasse foedus & amicitias inire, etiam cum efferatis barbara immanitate gentibus, suisque proprijs & Regni Poloniae perpetuis hostibus, Tartaris. Quas ob causas tanta doloris acerbitate cor nostrum discruciat, ut facere non potuerimus, quin ad te literas per celerem Tabellarium habere daremus, ut vim moeroris nostri conspiceres tantò citius, & nos, quae noster paternus in te amor postulat, tibi in tam graui causa omni mora abiecta significaremus. Nam & certum quoque hominem huius rei causa ad te mittimus. Angit enim nos haec sollicitudo supra quam dici possit vehementissimè.

Itaque te, fili charissime, hortamur & quanta possum maximam efficaciam monemus & obsecramus in Domino, ut consideres attentius, in quanta Dei & bono

omnium offensione hæc tua actio & deliberatio incur-
rat quantam Coronæ tuæ maculam inurat. Crede .n.
nobis, qui tibi parentis loco in Christo sumus, qui te non
fictè sed verè diligimus, qui tuam in hoc seculo glori-
um & in futuro æternam felicitatem optamus, Crede,
obis magnam hoc famæ tuæ maculam apud Reges &
Principes Christianos inurit: grauius omnes ferunt,
& tanquam moueri simile detestantur, tua causa fieri,
ne res Christiana prosperè geratur, ne Princeps gene-
rosus qui se deuouit propter Christum felices progres-
sus habeat, in hoc bello tam pio, tam necessario contra
infideles Turcas & Tartaros non minus tuos aut etiã
fortasse magis quàm illius & cæterorum Christiano-
rum Principum hostes. Sed quid dicemus, Transyl-
uani Principis progressus impediri, parùm hoc esset,
imò in summum periculum conijcitur & Turcarum
furori objicitur ac propemodùm traditur. Vt qui Prin-
ceps? non solùm Christianus & Catholicus, pro fide,
bellator fortis, quæ virtus etiam inimicis admirabilis
esse solet, sed sororius tuus, & propinquitatis vinculis
ecum coniunctus: cuius liberi liberorum tuorum fra-
res erunt. Quid agis fili carissime? Vide ne te ho-
mines omnes & viuentes & posteri summè inhumani-
tatis condemnent, sed vide adhuc magis, ne in cogna-
tos solùm, sed in DEVM ipsum qui te duobus Regnis
amplissimis & tot bonis cumulauit, parùm gratus, pa-
rùm pius fuisse videaris; nouit illum qui reprobat &
dissipat mala & iniusta consilia contra te ipsum ad ira-
undiam prouoces, & hoc quod fratri tuo intulisti
malum in tuam & Regni tui perniciem maximam
(quod absit) iusto DEI iudicio redundet. An tu
tas, Transyluano oppresso, te à Turcarum insidijs
tutum

tutum fore? An tu foedisragum Tyrannum illum
ignoras, qui omnia sua vtilitate metitur, qui nulli fidē
seruat, nili ex sui commodi regula, qui omnia regna
insatiabili cupiditate appetit, imò totius Christiani no-
minis interitum sitit. Cogita etiam fili, quanta ele-
cto Imperatori propinquo tuo iniuria inferatur, ex
cuius Augusto sanguine filios & hæredes suscepisti:
Quantum etiam nostræ & huius sanctæ Apostolicæ
sedis, quam adeò deuotè coluisti dignitas lædatur, &
mater tua charissima quod te omnium minimè velle
certò scimus Romana Ecclesia offendatur, quæ huius
sacri belli gerendi causa maximos & intolerabiles sum-
ptas subit. Nostrorum autem viribus quæ à te suble-
uanda & augenda erant tam alieno tempore per hos
Moldauicæ motus distractis & minutis, contra hostium
auctis & roboratis, in quæ discrimina & angustias ex-
ercitus noster Ecclesiasticus & Cæsarianus incidere
possit, & quantopere totius belli ratio & administratio
perturbetur nemo est qui non videat. Sed & illud
accedit quod ad nostram & huius sanctæ sedis digni-
tatem non mediocriter pertinet, quod nos charissimo
filio nostro RVDOLPHO & SIGISMUNDO rece-
pimus, & pro certo polliciti sumus Regiam Maiesta-
tem tuam nihil impedimenti aut perturbationis eo-
rum rebus allaturam. Neque hoc leuiter aut temerè
confirmauimus, sed graui admodum ratione, non ex
eo solùm, quod ita de te nobis polliceri in tam causa
iusta meritò debuimus. Sed quia à Venerabili Epi-
scopi sancti SEVERI nostro apud te Apostolico Nun-
tio id expressè & disertè ad nos perceptum est, quem-
admodum nobis fidelem & tui studiosiss. esse scimus,
neq; villo modo nobis in dubium reuocare possumus,
quod

quod ille ad nos de tam graui re scripsit, ex ore tuo accepisse. Quæ cum ita se habeant, cumq; multiplicem huius rei gestæ absurditatem ex omni parte, ne atrocitatem dicamus, ipse videas: Te iterum & sæpius rogamus, vt his incommodis quæ necessaria sunt remedia quàmprimum adhibeas. Principem Transylvaniae, sororium tuum tibi addictum, tuæq; beneuolentiæ cupidum, tuo patrocinio foueas, aut certè illi ne noceas, imò toti Christianæ Reipub. neuè Christi hostium causam vlla ratione subleues. Quod si quid cum SIGISMUNDO Principe controuersia habes aut aliquid ab eo desideras, id ad nos, hoc est, ad patrem tuum tui amantissimum deferas. Scis tuas res nobis cordi esse maximè. Speramus, Deo auctore facile fieri posse, vt commoda aliqua ratio inuatur, qua inter vos Pax & tranquillitas conseruetur, & inter duos fratres filios vestros vera cõcordia coalescat omnisq; radix amaritudinis ex eorum animis penitus euellatur.

Hæc ad te, Fili, liberè & aperto cordis sinu, sed certè dolenter scripsimus. quia te amamus, & de tuo honore & solida vtilitate solliciti sumus. Tu rei fã ostende, te sic illa accipere, vt à patre scripta. Ita vt nostras paternas & salutare cohortationes aliorum minus piis consilijs anteponas. Cætera hoc de genere intelliges ab eodem Episcopo Nuncio nostro apud te, cui de more fidem omnem habebis perinde ac nobis ipsis.

Datis Romæ
die 8. Nouembris, Pontificatus
nostri anno quarto.

CLE-



CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte fili, nobilis vir, Salutem
& Apostolicam benedictionem.
Multa de Nobilitatis tuæ actionibus cre-
brò audire consueuimus, quæ Nos mirifi-
cè oblectant, quandoquidem in illis elucere solet &
prudentia tua & animi magnitudo, & pia quædam ac
præclara voluntas, non solum erga patriam, & Polo-
niæ regnum, sed erga commune bonum Reipublicæ
Christianæ totius. Sed quæ ante hos dies proximos,
à te in Moldauia prouincia acta esse referuntur, ne-
quid tecum dissimulemus, quem singulariter diligi-
mus, graui admodum molestita nos affecerunt: neque
enim cum cæteris tuis reb. non minus religiosè quam
fortiter gestis videntur consentire villo modo, sed pror-
sus esse dissimiles, & quoniam te semper cognouimus,
generosas cogitationes intra pectus alere, & veræ glo-
riæ auidum atque appetentem esse, sanè cupimus à te,
quauis animi perturbatione remota, paulò attentius
considerari, quid Reges & Principes Christiani & Ca-
tholici, quid præsens, quid futura ætas de hoc Molda-
uensi negotio sit dictura, profectò intelliges; quippe
qui multo rerum vsu & acri iudicio vales, actionem
istam in magnam incurrere offensionem & repræhen-
sionem bonorum omnium, cum eorum, qui nunc sunt,
tū cæterorum, qui in omni posteritate erunt: quis
enim

B

enim

enim communis boni amator & diuini zelo honoris
ardens non ingemiscat hoc potissimum tempore, quo
pium hoc & necessarium bellum contra perpetuos &
implacabiles Christianorum hostes Turcas susceptum
pro salute & libertate populi Christiani, & pro fidei
defensione geritur, & quidem dextera DEI mirabili-
ter operante, eo rerum successu geritur, qualem nullis
ab hinc annis, aut etiam sæculis neq; audiuius neq;
vidimus; quis inquam non doleat hoc tali tempore,
tanta rei benè gerendæ spe, ea in Moldauia acta esse,
quibus inimici crucis Christi subleuentur, & roboren-
tur. contra fidei propugnatores in ipso victoriæ cursu
retardentur & debilitentur, totaque belli ratio pertur-
betur, & omnia in magnum discrimen abducantur, at
cuius tandem consilio & ductu acta hæc sunt? illius,
qui loco & auctoritate apud Poloniæ Regem & Regnū
præstat, qui singularem fidei Catholicæ zelum semper
præ se tulit, qui virtute, prudentia, fortitudine excellit,
a quo Iure optimo expectandum erat, vt hoc sacrum
bellum summa ope adiuuaret, & ad iugum teterrimi
tyranni à ceruicibus populi Christiani excutiendum,
toto spectore exardesceret. quid ergò aut præsentis
ænes, aut posteros dicturos? quid iudicij facturos?
eum audierint, non solum Turcarum nomen cum Po-
lonis in Moldauia promulgatum, sed etiam Tartaro-
rum, qui proprii Polonorum inimici sunt, (& quos tu
ipse semper persecutus, quasi trium simul fæderatorum
opibus & decretis, in Moldauia Christiana Respubli-
ca oppugnata, magnumq; ei vulnus illatum sit: Nam
quidquid deinde aut detrimenti capiet res Christiana,
aut minus assequi & prosperè agere poterit, in huius
belli administratione, Polonis ac tibi ipsi potissimum
adscribe

adscribetur. Quare Fili singulariter dilecte, hortamur te, quanta maxima possumus efficacia, & rogamus in Domino, ne tantam maculam inuri patiaris gloriæ tuæ, neuè permittas, vt propter te nomen DEI blasphemetur inter Gentes, sed omnino & quàm primum prouideas, ne hoc malum diutius coalescat, neuè altiores radices agat. Scimus tibi rationes ac modos non defuturos, quibus hoc agas, & eadem auctoritate remedia pares, qua hæc incommoda extiterunt; nos certè pro nostra perpetua erga Regnum Poloniæ beneuolentia parati sumus cum filio nostro Sigismundo Rege nostram & huius sanctæ sedis auctoritatem interponere, vt hæc commodiùs disponantur, neque diffidimus DEI adiutrice gratia, tua præsertim operaque opera viam iniri posse aliquam vobis honorificam, causæ etiam publicæ salutarem. de quo etiam ad Regem ipsum scripsimus, & venerabilis frater Episcopus Sancti Seueri, noster Apostolicus Nuncius ad tuam etiam Nobilitatem perscribet, cui cumulatam fidem habebis, perindè ac Nobis ipsis: nam quod ad Transyluaniam Principem attinet, Nobis planè pollicemur, fore illum in hoc negotio in nostra potestate, neque ab his, quæ æqua & iusta videbuntur, discessurum. De tua verò, vir generose, perspecta pietate, & erga Apostolicam sedem deuotione, & verò etiam de tua peculiari erga nos ipsos obseruantia multum confidimus, quod ad ea consilia animum conuerteres, quibus Christianæ Reipublicæ pax & tranquillitas conseruetur, dignitas atque vtilitas augeatur, fides Catholica propageetur, & tua præclara merita multa cum laude tua & gloria ab omni posteritate prædicentur.

B 2


Data



Data Romæ, apud Sanctum Petrum sub annu-
lo piscatoris. die VIII. Nouembris M. D. XCV.
Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Sylvius Antonianus

Dilecto filio, Nobili Viro, JO-
ANNI SAMOSCIO,
Magno Regni Polonia
Cancellario.



Sanctissime ac Beatissime in Christo
Pater & Domine, Domine Cle-
mentissime.



Ost oscula pedum be-
atorum, meique humillimam
commendationem, ex literis
Sanctitatis Vestræ, cum ad
Sacram Regiam Majestatem
tüm ad me datis, tam Rgm.
Mtem. Dominum meum cle-
mentissimum, quàm me tan-
quam Ministrum eius accusa-
tos

tos apud Stm. Vram. intellexi, quasi ijs rebus quæ in Valachia gestæ sint, & Christianorum conatus impediti fuerint, & hostium opes confirmatæ. Non debeo pluribus ea de re apud Stm. Vram. me purgare, cum, quæ acta in Valachia & quomodo acta sint, iam partim ex literis Ræ. Mtis. partim ex Secretario eius maiore eam potissimum ob causam ad Stm. Vram. misso cognouisse Sanctitatem Vestram statuan. De vno hoc supplicare Sti. Vrae. non dubito, vt si alicuius, non dico ingenij vel consilij, sed vel minimi rerum vsus, alicuius denique pietatis hominem me cognouit, ita de me sibi persuadeat, in hac maximè re nihil vel temerè vel cum incommodo aliquo Christianitatis actum esse. Nolo iam repetere, quæ de fœdere armisque cum reliquis Principibus Christianis contra cõmunem hostem sociandis, imprimis quidem Sræ. Ræ. Mtis, deinde mea etiam non modò sententia sed studium superioribus comitijs fuerit. Postquã ea res ab alijs, ad quos maximè pertinebat, vel dilata vel neglecta, vel intermissa fuit, Regiãq; Mtas. magno desiderio teneretur, insignem aliquam operam Christianitati nauandi, ego quoq; in id maximè pro virili meâ incubui, vt publico Regni decreto in ipsam Scythiam expeditio susciperetur: non modo ob superiorum annorum iniurias hostis eius vlciscendas: verùm non minus, quò à ceruicibus etiam Christianorum interim auerteretur, neque vires suas iterum coniungere cum Turcis posset, aut etiam, si DEO Opt. Max. conatus hosce prouehere visum fuisset, radicibus aliquando malum id excinderetur. Quomodo factum sit, vt hæc quoque expeditio tantoperè à Ra. Mte. expedita ac vix non iam instituta & suscepta, successum non

habuerit, non necesse est me ostendere, Stem vestram iam ex alijs, maximè autem nuncio suo cognouisse existimo. Interim & alijs frequentioribus nuncijs afferitur Sinanum Bassam cum exercitu Danubium iam transiisse, & à Michaele vltioris Valachiae Palatino se, quod par illi esse non posset, prouincia celsisse, ad me perscribitur, quæ cum primo impetu capta & ad internecionem ferè vastata à Sinano fuisset, iam Transyluaniae ipsi imminebat. In citeriore autem Valachia Tartarus quoque exspectabatur Rozuanus, qui Arone, cui merebat, domi suæ capto, Valachiam inuaserat, trepidare, auxilium à me petere, fugamque potius circumspectare, quemadmodum quidem haud multo post ex prouincia etiam ipse excessit, vt qui neque magnum praesidium circa se haberet, neque à prouincialibus exspectare poterat: Ita enim praeteritorum annorum cladibus eorumque potissimum, qui illi imperitarunt, attrita prouincia ea est, vt verè Sti. vestrae confirmare possem, eo tempore, quo ego Valachiam ingressus sum, plura cuiusuis ordinis patrum familiâs quàm quindecim millia in eâ non fuisse: ea ipsa autem magna ex parte rusticae & promiscuae plebis, in quibus neque praesidij aliquid esse poterat, & vt praestari aliquid ab illis potuisset, non facillè tamen committere se illis Rozuanus audebat, in quos omni genere crudelitatis saeuierat. Chotimum arx in ipsis regni huius finibus posita non maiore, quàm ducentorum Vngarorum peditum praesidio tenebatur, qui cum ipsi neque ad locum retinendum neque hosti resistendum virium satis se habere sentirent, Rozuanum mox ipsi quoque secuti sunt, Reliqua prouincia omnis non modo inermis, verùm inops planè & nuda sine impe-

imperio certo : sine consilio : sine viribus : sine munitione deniq; vllâ : duobus solis castris exceptis, quæ in ipsis Poloniae finibus constituta maiorem hostibus nos ex ijs premendi quàm Valachiam contra eos tuendi facultatem præbere possent, ita vt si semel in prouincia ea pedem hostis fixisset, neq; sine maximo belli apparatu recuperari, neq; recuperata contra tam potentem præsertim hostem facile retineri posset. quod maximum autem erat, non modò ipsa incendio illo conflagratura, sed Podoliam quoque vicinam, & magnam partem Russiæ eodem abreptura secum videretur.

Hoc igitur rerū statu cum & prouincia illa in maximo periculo esset, & tot hostes non magis vniuersæ Christianitati, quàm in primis regno huic imminerent, quid faciendum nobis fuit? sentio apud quem hæc dicam, apud eum nimirum, cuius non modò diuina prudentia, sed singularis etiam in patriam meam fauor perspectissima mihi sunt. Ingressus Valachiam fui, cum exercitu sanè non magno, sed quem sicut in eiusmodi rebus fieri solet, fama apud hostes maximum foras faceret: Itaque Sinanus, dum, si in fauces, per quas in Transyluaniam irrumpendum illi esset, ulterius se demisisset, ne à nostro exercitu intercluderetur cauet, & ipse subsistit, & Tartarus quò diligentius, fama exercitus huius cognita, à Sinano accersebatur, eo maiores sibi copias cogendas statuit, ita dum Nohaienses remotioresq; ordas commouet, dum vndecunque potest, maximas copias contrahit, in vertentem ferè Nouembrem res ducta, ad quod tempus numerosissimo certè cum exercitu Sendziakoq; Iehyuense & Turearum exercitu ex vicinis præfecturis coacto, comitatus, recta ad me in Cocorensibus campis accessit.

Sendziakus Sororis Cham Tartarorum filius, Bassam
iam Valachiae se ferebat, cuiusdam verò partis
Principem maior natu filius CHAM: Ita enim pro-
uincia ea partita inter eos fuerat, vt quæ Tartari di-
tioni vicina esset, illius imperio cederet; reliquam
prouinciam, quæ Regno huic imminet, Sendziakus
pro Bassa administraret, perpetuq; belli & armorum
sedes, ex qua continuis incursionibus Podolia & Ruf-
sia minorq; Polonia vastaretur, in conspectu oculisq;
nostris conspiceretur: qua de re passim iam literas di-
mittebant; quibus & imperium sibi traditum promul-
gabant, & ad accipiendum id homines prouinciæ eius
hortabantur. Pugnatum per integrum diem cum illis
fuit, in illorum multitudine, nostris tamen DEI bene-
ficio, semper non modo superioribus, sed sine vlla et-
iam clade nostrorum, illorum certè non nulla. Vti-
nam eas copias habuissem, vt non modo conditiones,
sed hostes ipsi in potestate esse potuissent. Verum
cum aliquoties colloquium illis petentibus ad condi-
tiones ventum esset, huiusmodi conditiones certè illis
latae, quibus si regnum hoc solum sine cuiusque iniuria
repentino illo periculo liberatum fuisset, quis tandem
æquus reprehendere nos posset: si patriæ, cui omnes
boni omnia debent, quietem seu salutem potius, alio-
rum commodis prætulissemus: Iam verò ita hæc acta
sunt, vt non minus vicinæ Christianitatis, & non po-
stremo loco fortassis illorum, qui hanc ipsam ob cau-
sam ad Stem vestram regnum hoc criminantur, com-
modis consuleretur. Retardati impetus Bassæ Sina-
ni, qui dum veretur, ne à nostro exercitu Valachiam
iam ingresso in angustijs intercludatur, dum Tartarica
auxilia ideò exspectat, totam ferè reliquam ætatem
inermem

inermem atque ociosam traduxit.

Tartarus ipse à visceribus Christianitatis, in quæ ut superiore anno penetrare constituerat, auersus non modo, quod nostris pectoribus furorem armaq; ipsius exceperimus; Sed cum ad conditiones perductus esset, diuertè etiam in conditionibus exceptum fuerit, ut ex breuissimotemporis spatio præfinito & sine maleficio non alia via se reciperet, quàm qua venisset. vnde certè factum, ne ad hunc vsque diem Tartarorum arma hoc anno Christianitas adhuc sentiret. Transyluaniam autem Hungariæque, cum à tergo noster exercitus tutam eam præstaret, cura que illa non modo citeriorem, sed & vltiorem Valachiam ac Transyluaniam ab ea parte defendendi leuaret, ad vires armaque contra hostem contrahenda ab ijsque locis ei opponenda, quantum spatij ac facultatis datum, cum nisi ista causa moræ primitim Turcis, deinde etiam Tartaris obiecta fuisset, ne de Turcis dicam, Tartari certè eo ipso tempore, quo in vltiorem Valachiam exercitus Transyluanicus progressus fuerat, vel Transyluaniam, priusquam ille domum revertisset, inuadere, vel si ad exercitum illum rectà iter convertissent, extra Transyluaniam occurrere illi potuissent. Valachia certè citerior, quæ vna cum memoria nominis Christiani, quæ in illa reliqua est, funditus alioquin periisset, manifestissimè nostri exercitus aduentu seruata fuit; quæ quem exitum habitura fuisset, si hosti, quemadmodum in vltiore illa grassari licuisset, vel hodiè fumanti adhuc illi acerbißima vestigia impressa ostendunt; ex qua plura Christianorum capitum millia in terri-

mam seruitutem abducta constat, quàm miseris hisce bellis ex vlla alia ferè prouincia, abducta sint. quæ cum huiusmodi sint, non gloriamur tamen, laureatas literas ad Stm. vram nullas mittimus, de opera nostra Christianitati nauata nihil ipsi prædicamus; conscientia rei ipsius contenti sumus. Interim verò accusamur apud Stm vestram: at quam ob causam? Si de Valachia erepta quisquam queritur: non dicam vltro ab ijs ipsis dum in finibus adhuc essem, desertam antea fuisse: vetustissimum certè in eam Ius regni huius est, atque huiusmodi, vt cum vel Moschorum, cruciferorum, vel alijs bellis Regibus nostris occupatis, quibusdam verò eius statum turbantibus ab aliquo tempore Turcarum Tyrannis tam potentibus in prædam celsisset, in foederibus tamen, quæ regno huic cum illis intercesserunt, sancientis, renouandisq; , ea quæ à Principe Valachia Regi deberentur, præstari ob eo deberi exciperetur, & plerosque Principes illi Reges Poloniae, Augustus ipse vltimus Jagellonum imponeret: quæ cum manifestissima sint, potior tamen salutis prouinciae eius tanquam Christianae, quàm ipsius Iuris nostri ratio habita, in eumque statum Prouincia restituta, in quo iam ab aliquot sæculis ante bellum hoc fuerat: quare si quis factum quid existimet, quibus inimici crucis Christi subleuantur & roborarentur; contra, fidei propugnatores retardarentur, tantum abest, vt tale quid commissum sit, vt potius, quemadmodum suprè ostensum est, & hostium impetus retunderentur, auerterenturque, & Christiani, cum à tergo hostis ab illis excluderetur, à fronte illum oppugnandi tantò maior facultas daretur. Id vereor, ne satis plenè Sti. vestrae renunciârint, quomodo actum sit, qui non solum Turcarum

earum nomen cum Polonis in Valachia promulgatum, sed etiam Tartarorum, qui proprii Polonorum inimici sunt, eorumque quasi trium simul foederatorum opibus & decretis rem in Valachia constitutam, ad Stemm vestram detulerunt. Si enim eò id pertinet, quasi societas constituta cum illis sit, conditiones illis latas libenter profiteor; sed huiusmodi conditiones, quibus non modo regni huius securitati ac tranquillitati consuleretur, sed non minus quemadmodum ostensum est, vniuersæ Christianitati. Quæ tamen ipsa etsi maximè è re regni huius & Christianitatis acta sint, ita sunt acta, vt ad Serenissimum Regem & Ordines Regni relata omnia à me sunt, hodieque omnino vt tumuis integrum Regno sit, vel ad societatem cum reliquis Principibus Christianis accedere, vel, si illa certis ac æquis conditionibus coiri non poterit, hæc cum nullius iniuria aut incommodo, cum magnæ autem partis Christianitatis salute, coniuncta, rata habere. DEVS modò faxit, vt seriò Principes Christiani & de societate hac contra communem hostem cogitent, & omnes non tam rumoribus & obtreccionibus aliorum, quam armis cum hoste certare velint: Non pedes certè, sed iugulum hostis ab illis petendum, neque in Poloniae finibus bellum constituendum, vbi & pacata potius à tergo omnia illis esse, illorum ipsorum interest, & non minore cum sumptu apparatuque, quam si sedem hostis peterent, sine vllò autem serè operæpretio, tanquam in prouinciâ planè & apertâ & nudâ, quæ potentioris occupantis semper futura esset, bellum administraretur.

Hæc pluribus, vt institueram: Quæ omnia, vt Stas vestra diuinâ illâ suâ prudentiâ consideret, solitaque

litaque clementia accipiat, etiam atque etiam Sancti-
tati vestrae supplico, pedibusque Sanctitatis vestrae ad-
uolutus, clementiae eius diligentissime me commendo.

Zamoscio, die X. Mensis Ianuarij: A N N O
M. D. X C V I.

IOANNES SAMOSCIUS
Regni Poloniae supremus Cancel-
larius; Exercituum Generalis; Bel-
censis, Marienburgensis, Dorpaten-
sis, Knissynensis, Miedziericensis,
Grodecensis, Ianorovvensisque &c.
Capitaneus.





DOCTRINA A...

...VINCULIS...

...C...

Faint, illegible text in the center of the page, possibly bleed-through from the reverse side.



AB: 155064 (1)

ULB Halle 3
003 921 654





Sb.

R

VD17







DE NEGOCIO
MOLDAVICO

Epistola CLEMENTIS IIX. PP.

Altera,

ad Sereniss. Regem Poloniae,
SIGISMUNDVM III.

Atera,

ad Illustrissimum
Dn. JOHANNEM SA-
moscyum, magnum Regni Po-
loniae Cancellarium:

Item

Responsio Magni Cancellarij, qua
concinnè & neruosè omnes à
se suspiciones remouet.

*Judicium ex certa scientia, non ex multitudine
faciendum: ait Plato.*

ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandri

IV. 137. +